



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quandam esse Ecclesiasticam Elequentiam. Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

DE RHETORI-
CA ECCLESIASTI-
CA AD CLERICOS,
LIBER PRIMVS.

Quandam esse Ecclesiasticam Eloquentiam.
CAP. I.



INGVA, vt Lactantius Firmianus scribit, cum verum loqui coeperit, & virtutem, maiestatemq; Dei interpretari, tum demum suo fungitur munere. quandiũ falsa loquitur, in suo vsu non est. Oratores autẽ seculi, qui falsis sapẽ argumentis, & adulationibus incautos animos decipere consueuerunt, & in suis orationibus gloriam Dei propositam non habuerunt, rectius homines ad argutam copiosamq; malitiam, ad blandam, seditiosamq; calliditatem, atque ad omnia verborum lenocinia instructos, quã eloquentes, quispiam dixerit. Quod si quis contendat, tot mala non ab arte, sed à deprauata hominum natura fuisse profecta; oratorem sic esse definitum, virum bonum, dicendi peritum; is certẽ nõ negabit, viris etiam bonis dicendi facultate instructis, quos admirata est antiquitas, minimẽ fuisse propositum, ad verissimam Christi religionem, vnicam veritatis magistrã, auditores instruere, & eos ad beatam & æternam vitam impellere. Quare rectẽ, aliud animo cogitans, dixit ille apud Ciceronem, disertos se vidisse quã plurimos, eloquentem
verò

verò neminem; cum, exceptis illis, qui Christum Deum aut prænunciātes, aut cognoscentes, diuino spiritu adiuti, verissimam eius religionem copiosè explicauerūt, eloquens meritò appellari nemo possit. Sunt igitur colligenda & accommodanda quedam præcepta, quæ doceant celestem ac sanctam eloquentiam: quorum cum sit magistra, vt est salutarium omnium præceptorum, sponsa Christi sancta mater Ecclesia, Ecclesiasticā Rhetoricam illa constituent. Hanc diuinam potiùs, quàm humanam, dicendi facultatem, etsi Spiritus sanctus sine vlla doctrina & labore interdū solet suggerere, obseruatione tamen sermonum, quibus sancti homines, eodem spiritu afflati, Christiano populo profuerunt, percipi, et in artem redigi posse, nemo negauerit.

De Ecclesiasticæ Eloquentiæ vtilitate.

Cap. II.

VTILEM dicunt Rhetores eloquentiam, quia veritatem tue tur & extollit, quæ ignorantia iudicū, et aduersariorum calumnia depressa succumberet: quod non solū inutile, sed etiam turpe est homini. Addunt, quia salutaria cōsilia proponit, quia debitos honores virtuti tribuit, quia populorum impetus sedat, quia in communi, quotidianaq; vita maximas vtilitates affert. Ecclesiasticam nos eloquentiā non solū vtilem existimamus ad ea, quæ illi dixere, sed ad religionem, quæ nihil melius homini à bonorum omnium largitore Deo tributum est, inducendam, retinendam, propagandā. Ea enim qui sunt ornati, si diuinitus ad nobilissimum illud munus vocati sint; prouincias, regna ad Christum conuertunt,